



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quid sit sacramentum & res. C

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

rificavit, & peccatum dimissum reuocavit: ut eum humiliato ante Deum peccatum dimiserat, eidem postea elato & ingrato imputer.

Aliorum sententia.

Matth. 15. c

Sed quia absolum videtur, ut peccata dimissa iterum imputentur, placet quibusdam, neminem pro peccatis semel dimissis iterum à Deo puniri. Sed ideo dicuntur dimissa redire & imputari, quia propter ingratitude ita reus & peccator constituitur, ut ante fuerat. Sic enim quod dimissum fuerat, dicitur exigi, quia remissionis percepte ingratus, ita reus fit ut ante fuerat. Vtriusque parti questionis probate fauent doctores. Ideoque alicui parti non præiudicans, studioso lectori iudicium relinquo: addens mihi tutum fore ac saluti propinquum, sub mensa dominorum micam edere.

Quid sit hic Sacramentum & Res.

Post prædicta restat inuestigare, quid in actione poenitentiae sit Sacramentum & Res. Sacramentum n. signum est sacrae rei: Quid ergo hic signum est? & quae est res sacra huius signi? Quidam dicunt sacramentum hic esse, quod exterius tantum geritur, scilicet exterior poenitentia: quae est signum interioris poenitentiae, scilicet contritionis cordis, & humilitatis. Quod si est, non omne sacramentum euangelicum id efficit, quod figurat. Exterior n. poenitentia non efficit internam: potius interior, causa est exterioris. Sed ad hoc inquit illi, hoc esse intelligendum de illis sacramentis, quae in nouo testamento instituta sunt: ut est sacramentum baptismi, confirmationis, & corporis Christi. Sacramentum verò poenitentiae, sicut & coniugii, ante repositae gratiae, etiam à primordio humani generis fuit. Vtrumque n. institutum fuit in primis parentibus. Item. Si exterior poenitentia sacramentum est, & interior res sacramenti: saepius præcedit res sacramenti, quam sacramentum rem. Sed nec hoc inco-

ueni-

ueniens est. Nam & in aliis sacramentis, quæ efficiunt, quod figurant, hoc sæpè contingit. Quidam a dicunt, exteriorem pœnitentiam & interiorem esse sacramentum, nec duo sacramenta, sed vnũ, vt species panis & vini non duo sunt sacramenta, sed vnum. Et sicut in sacramento corporis, ita etiam in hoc sacramento dicunt, aliud esse tantum sacramentum, scil. exteriorem pœnitentiam, aliud sacramentum & rem, sc. interiorem pœnitentiam, aliud rem & non sacramentum, scil. remissionem peccatorum. Interior enim pœnitentia, & res est sacramenti, id est exterioris pœnitentiæ; & sacramentum remissionis peccati, quam signat & facit. Exterior quoque pœnitentia & interioris signum est, & remissionis peccatorum.

DE SACRAMENTO VNCTIONIS EXTREMÆ.

DISTINCT. XXIII. A

PRÆTER præmissa est etiam aliud sacramentum, scil. vnctio infirmorum: quæ fit in extremis, oleo per Episcopum consecrato. Et sunt tria genera vnctionis. Est n. vnctio, quæ fit chrismate: quæ dicitur principalis vnctio; quia in ea principaliter paracletus datur. Vnde & propter abundantiam gratiæ duos liquores mixtos habet, oleum scil. & balsamum, oleum conscientiæ, balsamum fidei. Chrisma verò Græcè, vnctio Latine dicitur. Nec tamen omne oleum ad vnctionem sanctificatum, chrisma vocatur, sed illud solum, quod miscetur cum balsamo: quo capita regum & pontificum vnguntur, quo etiam baptizatos sacerdos vngit in vertice, & pontifex per impositionem manus confirmandos vngit in fronte. Est & alia vnctio, qua catechumeni & neophyti vnguntur in pectore, & inter scapulas, in perceptione baptismi. Tertia vero vnctio est, quæ dicitur oleum infirmorum: de qua nunc agitur.

A quibus institutum sit hoc sacramentum. B

Fff 2

Hoc